UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XXXV. De Purgatione vulgari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62649

Visual Library

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

1. *Hæc olim per Monomachiam,*
2. *Per ignem,*
3. *Per aquam ferventem, aut frigidam fiebat.*
4. *Quos purgandi modos DD. Catholici reijciunt:*
5. *Niſi ex ſpeciali Dei inſtinctu ſuſcipiantur.*

1. PUrgatio Vulgaris, ſic dicta; quòd ſuperſtitioſâ obſervatione & moribus vulgi ſit introducta, pro temporum gentiúmque varietate varia rituum ſolennitate fieri conſuevit.

Et olim quidem apud Orientales Occidentaléſque populos multo uſu introducta firmatáque fuit Purgatio per Monomachiam, ſive pugnam duorum ſingularem: quâ criminum falsò accuſati cum adverſario ſive accuſatoribus congreſſi, quantumvis ſæpe ætate, viribus & armorum tractandorum peritiâ eſſent inferiores, ſolius innocentiæ præſidiô victores, calumniam depulerunt, ut refert Rainandus *de Calumnia ſ. 3 cap. 2 q. 4.* Quod innocentiæ manifeſtandæ medium, tanquam periculoſum, ſuperſtitioſúmque, & omnino fallax vanúmque ſanctionibus Eccleſiaſticis non ſolùm antiquis, *can. Monomachiam, 2. q. 5. c. 1. & c. Significantibus 2. hîc &c.* ſed etiam Noviſſimô Jure S. Synodi Tridentinæ *Seſſ. 25. cap. 19. de Reformat.* abrogatum; *Tit. 14. n. 5. & 14* eſt dictum.

Præter hanc, purgandi ratio præſertim triplex Vulgi moribus olim invaluiſſe, perhibetur à Gonzalez *in c. fin. n. 5.*

Prima per Ignem experimentum innocentiæ & calumniæ indicium minimè dubium cenſebatur, ſi criminis inſimulatus vel aliàs de eo infamatus rogum ſubiret, prunas vel ignitum vomerem aut ferrum candens manibus, pedibúsve innoxiis contrectaret vel calcaret: iíſque læſus habebatur pro convicto, ut latè Rainaudus *cap. cit. q. 5.* 2.

Altera per Aquam ferventem ſive bullientem: in quam de crimine infamati aut accuſati manus vel brachium immittebant: &, ſi omnino illæſum extraherent, innoxij: ſi amburerentur, illud perpetrâſſe apud varias Nationes credebantur præſertim, ſi adhiberentur Exorciſmi & Orationes, quas permitti ſolitas perhibent Delrio *Diſquiſ. Mag. Lib. 4. q. 5. ſ. 1. & 2.* & Gonzalez *n. 6.* 3.

Tertia per Aquam frigidam: in quam certô ritu conſecratam, qui purgandus erat, manu dextrâ cum pede ſiniſtro & ſiniſtrâ manu cum pede dextro colligatis immerſus, ſi mergeretur, inſons credebatur: ſi ſuperferretur, quaſi aqua eum tanquam ſontem reſpuiſſet, convictus causâ cadebat, ut colligitur ex Adjuratione aquæ S. Dunſtani, à *cit.* Gonzalez *ibid.*

lez *ibid. in fine* & Rainaudo *q. 96.* relata.

4. Has purgandi rationes, licet olim non defuerint, qui honeſtas & Chriſtianis valde congruentes exiſtimarent ac propugnarent, hodie tamen cum D. Angelico *2. 2. q. 95. art. 8. ad 3. p. 3. q. 80. art. 6. ad 3.* Suarez *de Irreligioſit. cap. 3. n. 8.* & Leſſio *Lib. 2. de I. & I. cap. 45. n. 3.* rejiciunt cæteri alicujus nominis ac notæ TT. quorum doctrinæ magnô conſenſu ſubſcribunt Canoniſtæ, & facem præferunt ſacri Canones, easdem tanquam peregrina judicia & ſuperſtitioſas ac præſumptuoſas vulgi inventiones reprobantes, *can. Mennam 7. can. Conſuluiſti 18. &c. q. 5. c. Sententiam 9. Ne clerici vel Monachi c. Ex tuarum 8. de Purgat. Canon. & c. fin. hâc Rubric.* ídque jure optimô, partim; quòd non conveniant cum uſu SS. PP. ſed redoleant ritus Gentilitatis: contineántque tentationem Dei, ad cujus extraordinariam providentiam & miraculum per eas temerè recurritur, cùm innocentia aut crimen ordinariis remediis detegi poſſet: partim verò; quòd inveſtigandæ veritatis & occultæ labis vel innocentiæ detegendæ media minimè certa: imò fallacia ſint ac ſuperſtitioſa; cùm illis veritatis, aut innocentiæ, calumniævè manifeſtatio à Deo nuſpiam ſit promiſſa; ideóque in iis non raró deficiant innocentes: & nocentes caſu, fraude vel occulta dœmonis cooperatione innoxii declarentur, ut rectè advertit *cit.* Gonzalez *n. 7.*

Neque eis patrocinatur paritas cum aquis amariſſimis, quas in veteri Teſtamento ad mulierum adulteria vel innocentiam detegendam adhiberi Deus voluit Numer. *cap. 5. v. 18.* quia, ut prætermittam, quod præceptum illud, tanquam Cæremoniale, Chriſti morte expirârit, *c. Translato 3. de Conſtitut.* revera paritas non eſt; cùm hôc ipsô, quòd illius aquæ hauſtus præſcriptus ſit à Deo, detegendi adulterii medium licitum & nulli fallaciæ obnoxium fuerit, propter Divinæ aſſiſtentiæ promiſſionem: quæ & Divina inſtitutio deficit in purgationis Vulgaris omnibus modis.

5. Neque etiam; quòd in nova Lege per ejusmodi purgationes Deus aliquando innocentiæ ſit patrocinatus, ut docent exempla, quorum plura refert laudatus Rainaudus *q. 5.* quia, licet ejusmodi mediis, ex ſpeciali inſtinctu Dei adhibitis, innocentia aliquando miraculosè delecta ſit, nuſpiam tamen legitur, Deum illa adhibentibus aſſiſtentiam ſuam univerſaliter promiſiſſe. Cùm ergo innocentiam demonſtrandi vim etiam non habeant aliunde, fallacia erunt & illicita, hôc ipsô; quòd per illorum uſum, præteritis mediis Ordinariis, ad ſpecialem & extraordinariam Dei providentiam recurratur, & miraculoſa Dei oſtenſio præſumptuosè expectetur, Suarez *n. cit.* & Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 34. n. 12.*

Neque pro iisdem facit Concilii Moguntini ſub Rabano celebrati *can. 24. Qui presbyterum occiderit &c. ac negaverit, ſi liber eſt, cum ſeptuaginta duobus juret: ſi ſervus, ſuper duodecim vomeres ferventes ſe expurget.* Ex quo à Gratiano in Decretum translato & *can. Qui presbyterum 17. q. 4.* relato textu perſpicuum eſt, purgationem per ignem ſacris Canonibus approbatam. Sed, eſto hoc perſpicuum, & illius uſus à nonnullis Conciliis Provincialibus fuerit receptus, cum tempore tamen, cùm, fidelium Religione in ſuperſtitionem degenerante, Vulgaris purgationis uſus in publicè pernicioſum abuſũ tranſiiſſe videretur, Apoſtolica Cœleſtini, Innocentii & Honorii, ejus nominis III. authoritate antiquatus, ejúsque judicium reprobatum fuit, *cc. citt.* ut præter alios *cit.* Gonzalez *in c. fin. n. 9.* adnotavit.

TITU-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN